

*lata sunt.* Faciemus hoc primo, hoc præveniendò Dei justitiam et voluntarias et castigationes assumendo: *Si enim nos ipsos dijudicemus*, id est, puniremus, *non utique dijudicemur*, ait apostolus, 1. Cor. XIV. et S. Augustinus, in sententiis, sent. CCX. *Cessat vindicta divina, si conversio præcurral humana*: et B. Petrus Damiani, l. VII. epist. ult. voluntarias castigationes per flagella appellat quoddam purgatorii genus, quod suo tempore non monachis solum, sed et nobilibus feminis consuetum fuisse asserit: et, lib. VI. epist. 4. « O quam jucundum, o quam insigne spectaculum, cum supernus Judex de cælo prospectat, et homo semetipsum in inferioribus pro suis delictis mulctat! Ubi reus ipse in pectoris sui tribunalibus præsidens trifarium tenet officium: in corde se constituit iudicem, in corpore reum, manibus gaudet se exhibere tortorem, ac si Deo sanctus pœnitens dicat: **Non opus est, Domine, ut officio tuo punire me præcipias, non expedit ut ipse me justi examinis ultione percillas: ipse mihi manus injicio, ipse de me vindictam capio, vicemque meis peccatis reddo, etc.** Hæc est hostia quæ viva mactatur, ad Deum per angelos oblata defertur. » Sic ille. Sane, l. L. hom. XVI. S. Augustinus asseruit de purgatorii tormentis: « Omnia hic ab anima reparare per eleemosynas et lacrymas, compendiosa transactio potuissent. » S. Bernardus videns ultra vires metentem in agro conversum fratrem: *Eia frater; age quod agis* inquit, *nullum aliud post hanc vitam purgatorium sustinebis.* Refert Thom. Cantipr. l. II. apud c. V. Male igitur sibi consulunt, qui hic eximi ab operibus mortificationis volunt, et dispensationes in jejuniò quærunt: quia ligna, quibus urentur in purgatorio, ne sibi subtrahantur, petunt.

Secundo, si hoc alicui asperum videtur, amplectatur saltem obviis ulnis, et patienter ferat morbos, inopiam afflictiones sibi hic immisas. Sic Deus de Hebræis in Babylone a peccatis suis per paupertatem et captivitatem expurgandis ait Isa. XLVIII. *Excoci te, sed non quasi argentum: elegi te in camino paupertatis.* Non crenavi te, sicut merebaris, in camino ardentissimo, sed in tolerabiliori paupertatis. Sic purgatum a levioribus maculis Lazarum mendicum, continuo absque alio purgatorio in sinum Abrahæ deportatum ait S. Gregorius, hom. XL. in evang. *Mala Lazari purgavit ignis inopiæ*, inquit. Idem a potiori dico de doloribus mortis, qui ad hoc a Deo immituntur sæpe justis, ut iis purgatorium redimant: quod testatur in primis monachus quidam Cisterciensis, apud Cæsarium, lib. XII. cap. CLI. qui prælato suo post mortem mox gloriosus apparuit,

asserens peracerbos mortis dolores sibi purgatorii loco fuisse. « Egrotabat unus e nostra societate juvenis (scribit Benedictus Fernandus soc. nostræ theologus, comm. in Gen. c. XXXV. sec. X.) necdum initiatus, sed sensu ille quidem ac virtute senilem supergressus ætatem. Igitur in gravescente in dies morbo, dicit ad aurem familiari socio: **Heus! tu mi frater, ora obsecro ad Dominum; grandis enim mihi imminet tempestas.** Ecce subito ingruit multiplex dolorum cruciatuumque procella; æstuarè pectus, ardere, premi, frangique scapulæ, humeri, terga, caput totum quantum est, tremere, perpungi, lancinari. Quid plura? Omnibus membris, ossibus, nervis, visceribus atque medullis intimis corporis desævire malorum nec audita nec visa colluvies. Stupere interim omnes, condolere laboranti, precibus ad Deum juvare, blandisque vocibus consolari æstantem; ipse patienter agere, Dei clementiam, Virginis Matris opem implorare. Perduravit hoc malum integras viginti quatuor horas: illo exacto spatio, disserenavit undique tempestas: æger tandem in portu consistens atque in se rediens, tantæ rei causam explicuit: petiisse nimirum se obnixè a Deo, ut purgatorii pœnas sibi ante mortem præstitueret: quibus tandem perfunctus, libere in cælum subvolaret, postulatisque annuisset Dominum. His tandem expletis, placide sanctæque obdormivit in Domino in collegio nostro Ebo-rensium. » Sic ille. Quare ne æstimemus eos qui in morte magnis afflictiuntur doloribus, ideo statim a Deo desertos et in inferno destinatos; sed potius si bonam vitam duxerint, hic a Deo clementer expurgari, ut gravissimas purgatorii pœnas evadant. Eandem ob causam Mauritius imperat. optione sibi data, num in hoc aut altero sæculo expiare peccata vellet, hoc elegit, ideoque Phocæ traditus cum quinque filiis, videre debuit eos coram se plecti, seque ultimum subsequi, Baron. anno 602. ex Cedreno.

IV. Quod si ista tibi duriora videntur, facilius adhuc subsidium superest: conscende equum, et alienis pedibus transili. Equus hic indulgentia est, quæ Christi et sanctorum meritis velut robustis pedibus nixu te facile trajiciet, si tamen fortiter equo adhæreas, et præscripta accurata exequaris.

Graviter offenderat Mauritius imp. qui captivorum aliquot millia a Chagano Avarum rege redimere noluit. Licet enim rex primo, pro singulis animabus singula tantum numismata, postea singulos nummos petiisset; dare tamen imperator abnuvit, imo et quatuor siliquis daturum se negavit. Unde ira incensus Chaganus, omnes occidit; qui post in visione Macritium accusave-

runt, et pœnas exegerunt coram Christi imagine, in foribus palatii existente, ut Baron. ex Cedreno et Nicephoro refert anno 600. Cogitate jam quam parum exigatur a nobis pro redimendis peccatis nostris per indulgentiam. Confessio et communio et oratio brevissimæ, denique forsitan unum jejunium: quatuor siliquæ nimirum. Si ergo numisma debite satisfactionis dare nolumus, aut non possumus, demus vel siliquas illas; ne alioquin iratus nobis Deus, vel hic pœnas infligendo, vel ibi purgatorium accendendo jure nobiscum agat.

Quando ergo nobis tam varii medio offeruntur redimendi animas nostras, sicque ignem illum transiliendi, sique perfaciles, demus operam, ut facillima hæc media obviis ulnis amplectamur, ne sera nimis pœnitentia in ipsum ignem insiliamus, ibique sero nimis ignaviam nostram deploremus

## CONCIO V.

JOANNES QUOMODO ALTER ELIAS.

I. Quia similis et in infantia. — II. In habitu et vestitu. — III. In victu et in habitatione. — IV. In virginali castitate. — V. In officio et zelo prædicationis. — VI. In feminarum insidiis. — VII. In martyrio.

## THEMA.

*Si vultis recipere, (Joannes) ipse est Elias.*  
Matth. XI.

Memini me vidisse ac novisse duos adolescentes nobiles patricios, eosdemque geminos fratres, adeo sibi per omnia fere similes, vultu, capillo, statura, voce, incessu, ut ipsa eorum mater in iis dignoscendis subinde erraret, et unum pro altero evocaret. Nisi scirem Christum ipsam Dei sapientiam, adeoque infallibilem esse, subire in mentem posset, ipsum plane errasse in dignoscendis a se mutuo duobus illis prophetis, Joanne et Elia. Ita enim loquitur Matth. XI. *Omnes prophetae et lex usque ad Joannem prophetaverunt; et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.* Quomodo Elias, qui Joannes? Quomodo venturus, qui jam venerat? Rursum Matth. XVII. *Elias quidem venturus est, et restituet omnia: dico autem vobis, quia Elias jam venit.* Quomodo jam venit, si primum venturus est? Utique rursum Eliam nominat pro Joanne, qui fuit præcursor primi, uti Elias erit secundi ejus adventus. Nimirum duo hi præcursores adeo sibi similes erant, ut unus ab altero difficile discerni potest. Et certe errarunt in illis Judæorum sacerdotes et legispe-

riti, qui ipsum interrogarunt, an Elias esset Eliam ergo Joannem Dominus appellat, primo propter Judæos, qui secundum Christi adventum cum primo confundentes, non credebant jam venisse Messiam, quod Elias juxta Malach. IV. prophetiam nondum apparuisset: quibus respondet Joannem esse Eliam alterum, qui, ut Elias secundum, ita ipse primum Christi adventum præcedere habeat. Deinde: « Non quod eadem anima, (inquit S. Hieronymus ibi et epist. CLI. ad Algasiam) ut hæretici suspicantur, et in Elia et in Joanne fuerit, sed quod eandem habuerint Spiritus sancti gratiam. Zona cinetus ut Elias: vivens in eremo ut Elias: persecutionem passus ab Herodiade, ut ille sustinuit a Jezabele: ut quomodo Elias secundi præcursor adventus est, ita et Joannes venturum in carne Dominum Salvatorem non solum in eremo, sed etiam in matris utero salutarit et exultatione corporis nuntiavit. Quæ hic expendemus.

I. Elias alter fuit in infantia, quæ miraculose omine demonstravit, qualis et quantus aliquando Joannes esset evasurus; siquidem miranda in ejus ortu contigerunt. Natus est a sterilibus parentibus, prænuntiatus ab angelo, os muti patris aperuit nomine suo, mentem propheticò lumine replevit, nomen novum miro parentum consensu accepit, a Deipara in utero matris salutatus exiit, ac denique in eodem adhuc existens Spiritu s. repletus, et usu rationis donatus fuit. Quæ omnia indicabant fore ipsum insignem et admirandum Dei prophetam, cujus testimonium de Christo ferendum ab omnibus admitteretur. Jam vera et Elias sua infantia divino non caruit ostento, quo denuntiaretur qualis et quantus aliquando propheta futurus esset. Tradit enim S. Epiphanius in vitis prophetarum (in Elia) eum flamma enutritum, in signum ardentis eloquii. Sic et Dorotheus in synopsi: « Cum nasciturus (inquit) esset Elias, pater ejus Sabacha, vidit illum ab angelis albicantibus saluari, et igne tamquam fasciis involvi, et flamma ignis velut cibo ali. Et Jerosolymam profectus, rem istam indicavit, dictumque est illi ex oraculo, ne timeret: fore enim ut puer nasciturus in luce habitaret, judicaretque Israel in gladio et igne. » Hoc ergo ostentat Deus Eliæ quoque, non secus ac prædictis illis, Joanni conciliare auctoritatem voluit, et ejus dictis et mandatis, veluti divinitus acceptis, fides haberetur. Frequens istud accidit viris eximiis, quos ad reformandos populos mittere Deo placuit: divino testimonio ab infantia eos condecorare atque inauctorare. Sanctus Dominicus sæculi sui Elias, matri per ardentem faculam infant in utero demonstratus fuit, ut in ejus vita: ma-

nas rubri nitoris, cœlitus extensa et ad ostium domus, in quo nascebatur Sanctus Guthlacus anachoreta, miro fulgore coruscabat, ut in ejus vita, 11. april. matri S. Ursuari episcopi gravidæ panis de cœlo, quo filium aleret, porrigi visus. 18. april. Sur. Taceo alia. Quia igitur Joannes æque ac Elias, imo multo magis præco divinæ veritatis et morum corruptorum reformator futurus erat, voluit Deus utrumque ab ipsa statim infantia suo commune testimonio: quo modo principes tabellarios suis ornant insignibus, in balneo gestandis, ut fides eis adhibeatur.

II. In habitu seu vestitu. Elias enim *vir pilosus*, hoc est, barba et capillo prolixo atque intonso, et zona pellicea accinctus erat renibus, IV. Reg. I. velut homo eremicola, pœnitentium habitum gerens. Similiter et Joannes vestitus erat pelle et pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos gerebat, Matth. III. Nimirum uterque virtutum præco, et vitiorum redargutor esse debebat; quocirca etiam habitum virtuti congruum, qui nox est nisi asper et incultus, assumere ac gerere.

Primo, ut ipsi hac ratione carnem suam castigarent atque in officio continerent. Interrogatus de hoc aliquando B. Ægidius, unus e primis S. Francisci sociis, cur S. Joannes, qui nulli peccato obnoxius erat, tam austeram egisset vitam, præcingendo carnem veste tam aspera, respondit: *Sicut carnes condiuntur sale, ne putrescant; ita corpus Baptistæ conditum fuit pœnitentia, ut in annalib. Franciscan. Joannes ergo, qui tam edomitam ac pene emortuam habuit carnem, cilicio eam frænaret; qui vero ad omne malum prurientem habent, mollibus eam vestiunt: ille in pilis camelorum, carni suæ metuit, isti in serico et bysso præfidunt.*

Secundo, ut hac ratione peccatores excitaret ad pœnitentiam et a vitiis abstraheret. Solet enim vel aspectus ipse habitus austeri animum concutere, et pudore suffundere eos, qui in deliciis vivunt. Hoc artificio conjux S. Faronis, de viri consensu Deo sacrata, cum ab ipso, dæmonis suggestionem tentato, ad priores conjugii voluptates pertinaciter evocata esset, tonsis capillis, horrido se cilicio induit, eaque deformitate viro se visendam obtulit, sicque ejus cupidinem frengit, abhorrentis a tam deformi habitu, ut in ejus vita, 28. oct. Baptistam imitata est B. M. Oigniacensis: « Sciens enim beatissimum Joannem ab asperitate vestium a Deo commendatum, dictum esse a Christo: *Qui in domibus regum sunt, mollibus vestiuntur*, subucula ad carnem uti voluit, sed aspero sæculo cilicino; tunicam habuit laneam coloris albi, et ejusdem coloris pal-

lium simplex, absque ulla vel pellium vel alterius panni subductione: non ignorans primos parentes nostros, post ruinam, a Domino, cum nudi essent, non vestibus pretiosis, vel multa arte tinctis, sed tunicis pelliceis indutos fuisse. Harum ergo vestium simplicitate contenta, cum intrinsecus ferveret, nullum æternum metuebat frigus, nec opus habebat igne, quo frigus hiemis depelleret: imo mirandum in modum cum hiems asperior glaciali frigore aquas constringeret, uti fervebat intus spiritu, sic foris corpore; præsertim inter orandum calebat, idque adeo, ut ex sudore ejus aromatico nonnunquam etiam vestes redolerent. Et erat plerumque sane odor vestimentorum ejus, sicut odo thuris, cum ex cordis thuribulo preces Domino offerret. Quid hic dicitur estis vanæ et fastuosæ mulieres, quæ multa indumentorum varietate oneratis cadavera vestra, et vestibus longas caudas trahentibus, degeneres vos et belluinas declaratis, circumornatæ templorum instar? Vestra vestimenta comeduntur a tineis, et putent: sanctæ hujus mulieris vestes in reliquiis habentur et suaviter redolent. Sunt hæ nimirum pretiosæ vestes, quas, licet admodum tenues, nullum potuit penetrare frigus, atque ideo propter frigus sanctificatæ sunt: propter sanctificationem autem post ejus obitum ab hominibus piis et diligenter asservantur et pietatis affectu honore afficiuntur. » Ita Jacobus a Vitruv. card. in vita 23. jun.

III. In victu et habitatione. Elias fere in locis tantum solitariis, ut in spelunca Horeb, ad torrentem, et in monte Carmelo, habitabat, ubi non nisi villissimo victu herbarum et radicum vitam tolerabat: ad torrentem vero Carith a corvis pascebatur, II. Reg. XVII. Joannes Baptista et ipse a tenera ætate eremum incoluit, ubi locustis et melle silvestri, apum opere confecto, se sustentabat. Etiam ergo corvi, Joannem alunt apes. Ita nimirum militantibus Deo stipendia non desunt, et ministrant etiam bruta animalia ministrantibus Deo: *Corvis præcepi*, inquit ad Eliam Deus, *ut pascant te tibi*, pane scilicet et carnibus; cum tamen corvi suosmet pullos pabulo destituant, et carnibus maxime inhient. Quare qui divinæ se fidei et curæ committunt, Deum pro se sollicitum experientur. Interim mirandum valde, quod viri isti sancti non contenti foris aspero vestitu impugnasse carnem, eam etiam intus inedia et vili cibo aggredi et conficere voluerunt. Quam male igitur consulunt, qui carnem, hostem suum intestinum, deliciis impingunt, et contra seipsos nutriunt ac corroborant? Multi hodierna die ad rogos excitatos festiva gaudia celebrant, potibus et saltibus vacant, iisque vehementiorem libidi-

nis ignem in seipsis excitant. Hoccine est colere festum Joannis, quem sciunt Deo placuisse jejuniis et inedia?

IV. In virginea castitate. De Joanne nullum in hac re dubium. De Elia idem sentit communis veterum patrum constansque sententia, et satis indicat solitaria ejus vita, quam fere in monte Horeb, aut in alienis ædibus precario degebat: *Elias erat in virginitate*, inquit S. Epiphanius, in Ancorato, *ut prerogativam virginitatis immortalitatem prædicaret mundo*. S. Ambrosius, lib. I. de virg. per illam meruisse vult, ut curru igneo raperetur. S. Ephrem. serm. de transfig. ait: *Aspexit virgo veteris testamenti virginem novi, Elias nimirum Joannem*. Neque admodum mirandum in tanta solitudine et vitæ austeritate thesaurum virginitatis facile servatum esse; id tamen observatione dignum videtur, quod Joannes etiam in aula Herodis, quam utique frequentasse aliquoties debuit, quando eum redarguit, castitatem suam illibatam conservavit; quemadmodum et Elias apud viduam aliquamdiu commoratus, eadem frimter tenuit. Quis enim nescit aulæ pericula et conversationis cum mulieribus? Sed nimirum in tuto versatur castitas, ubi servatur abstinentia et nihil ad victum suppetit: *Qualis illic fuit communitatis affectus, ubi non erat victus? Et qualem ad viduam Elias habuit introitum, cui fames dedit hospitium?* inquit S. Cyprianus, l. de singul. cleric. Tres illi adolescententes, quæ abstinentia addicti erant, nihil in fornace Babylonicapassi sunt, ambulantes cum angelo in flammis velut inter flores. Ad hæc Elias non sua sponte adiit periculum, sed Dei imperio, ut ibidem observat S. Cyprianus: quo casu Deus gratia sua tuetur servos suos; secus si periculo sponte quis se ingerat.

V. In officio et zelo prædicationis. Joannes ante Christi primum adventum missus ad prædicandum est. Elias mittetur ante secundum, uterque in eo officio strenuus et igneus: unde Joannes *lucerna ardens et lucens* a Christo appellatur, Joan. V. *ardens*, inquam, zelo honoris Christi et fervore amoris. Unde graviter increpabat incredulos: *Progenies viperarum, etc.* Matth. III. Elias vero propter igneam fervorem *ignis et facula dicitur Ecclesiastici XLVIII. Surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat*. Non timuit Joannes corripere regem Herodem, nec Elias regem Achabum. Joannes erat vox clamantis Judæos ad penitentiam, et baptismum suscipiendum fortiter impellens: Elias fuit ignis, ignea verba promens, ignem de cœlo evocans partim in delusores suos, partim in sacrificium suum. In eo munere uterque non suum, sed Dei

honorem quærebat: Joannes, ut Judæos ad Christi fidem et baptismum suscipiendum præpararet: idcirco etiam discipulos suos a se ad Christum potius sectandum ablegabat, dicens: *Eccc Agnus Dei*, reliquum etiam populum ad Christum dirigebat, ut cum dixit: *Medius autem vestrum stetit, etc.* eandemque ob causam amicum potius sponsi Christi, quam servum se appellavit, Joan. III. quia servi sæpe invident felicitati dominorum; amici vero gratulantur et applaudunt, eamque promovere laborant. Unde S. Chrysostomus, hom. XVII. in Joan. de ipso ait: *Unum tantum curabat, ut Christo omnium animos conjungeret*. Eadem mens et intentio fuit Eliæ, Judæos ab idolorum cultu ad veri Dei cultum retrahere; unde dixit: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel*, III. Reg. XIX. eodemque zelo quæret lucrari Christo Judæos ante secundum ejus adventum. Joannes excisionem synagogæ comminatus et vaticinatus est: *Jam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, etc.* Matth. III. Elias regi Achab excisionem domus suæ. Denique, par fructus utriusque præconis est. De Joanne asserit angelus, Luc. I. *Convertet corda patrum ad filios* (ut scilicet imitentur suos patriarchas, fideles et sanctos) *et incredulos ad prudentiam justorum*: de Elia vero asserit Malachias, c. IV. id ipsum plane: *Convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum*, quod faciet potissimum ad finem mundi, cum plerosque Judæorum convertet.

VI. In feminarum insidiis. Eliæ insidiabatur Jezabel impia regina, quod cælum verbo, ne daret pluviam, clausisset, et pseudopphetas occidisset: Joanni insidiabatur Herodias, quod Herodis cor ab ipsa averteret, velut ab illegitima conjuge. Eliæ intolerabile visum, a Jezabele necari: timuit ejus minas et fugit, qui non timuit se regi sistere, nec copiosum prophetarum impiorum agmen occidere, quodque magis mirum, in ea fuga sub junipero cubans, petivit animæ suæ, ut moreretur; interim tamen a Jezabele timuit necari. Nimirum optabat potius a Deo occidî, quam a Jezabele, duas, ai fallor, ob causas. Primo, quia ipsa ei infensa erat. Quæ autem ab inimico veniunt, inimica sunt: quæ ab amico, amica; et licet amara sint, dulciter tamen accidunt. Hinc Saul vulneratus, ne ab hostibus necaretur, suo potius gladio incubuit: et David ne ab eodem Saule, capitali inimico suo, interficeretur, dixit Jonathæ, amico suo: *Si est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, et ad patrem tuum ne introducas me*, I. Reg. XX. Secundo, quia femina, non

vir, et insidiabatur; fugiunt autem ignobilem mortem animi generosi. Hinc Abimelech a femina jactu lapidis prostratus, voluit ab armigero suo interimere, ac diceretur manu feminae interemptus, Judic. IX. Zebec et Salmana reges detrectarunt necari ab adolescentulo; voluerunt a viro, Judic. VII. Aristides mustelæ morsu ad necem vulneratus, dolebat se a tali bestiola, et non potius a leone vel pardali necari, Ælian. I. XIV. c. IV. Afri pro honore ducunt ab elephantibus interfici, idque laudibus celebrant et honorifica sepultura, eod. auct. I. XII. c. LV. ergo et Elias hujusmodi ignobilem mortem videtur timuisse, et evasit Joannes, qui Herodiadis suggestionem ac dolo caput suum amisit: cujus proinde mors, quo ignobilior erat coram mundo, eo nobilior et gloriosior erat coram Deo. Major ergo in hoc fuit Elia; quia et inter natos mulierum nemo eo major. Delirari nimirum mortales, qui extremo vitæ tempore animam agunt, et sæpe de funeris honore, de sepulchralibus saxis et epitaphiis, de filiorum commodis, de quibusdam post se nummusculis, de nullis momenti reculis solliciti sunt et anxii, cum de re omnium maxime necessaria, de ratione Deo jam reddenda, de peccatorum expiatione, aut nullam aut levissimam suscipiant cogitationem. Fatui et illi qui ex ipsis, etiam gladiis, venenis, aliisque, quibus moriendum, instrumentis aucupantur gloriolam. Et quam sæpe falluntur! De Alexandro imp. Lampridius: *Tantum, ait, animi habuit, ut putaret se diis comparandum si in bello periret.* Sed res eum fefellit. Nam gladio quidem barbarico cecidit, et suo in tentorio, ab impura imbellique barbari scurræ manu. De Heliogabalo imperatore idem Lampridius: « Paraverat funes blatta et serico et cocco intortas; quibus, si necesse esset, laqueo vitam finiret: paraverat et gladios aureos, quibus se occideret, si aliqua vis urgeret: paraverat et in cerauneis et hyacinthis et in smaragdibus venena, quibus se interimeret, si quid gravius immineret: fecerat et altissimam turrim, substratis aureis gemmatisque ante tabulis, ex qua se præcipitaret, dicens, etiam mortem suam pretiosam esse debere, et ad speciem luxuriæ, ut diceretur, nemo sic periisse. » Sed nihil ista valuerunt. Nam contra votum suum et occisus est per scurras, et per plateas fractus, sordidissime per cloacas ductus, et in Tiberim submissus est. Erratis ergo, impii, erratis. Quomodocumque fiat, ferro, saxo, ligno, manu, semper gloriosa, nobilis, pretiosa est sanctorum mors in conspectu Dei; vestra vero semper ignobilis, obscena et infamis.

VII. In martyrio. Joannes quidem gladio Hero-

dis occubuit, et vere martyr fuit, quia velut præco justitiæ et defensor castitatis, reprehensor vero incestus Herodiani, conjugis incestuosæ instinctu necatus est: Elias vero martyrium et ipse cum socio suo Henoch subibit, machinatione antichristi in civitate Jerosolymitana, ut habetur, Apoc. XI. Joannes, quia Herodis scelus libere redarguit, vitam martyr amisit: Elias, quia antichristum ejusque asseclas liberrime et ipse per urbes et pagos, ipsamque antichristi regiam reprehendet, et Christum prædicabit, vitam suam martyr amittet. Sic uterque victima Christi, ille castitatis fuit, hic religionis erit: uterque in cælo similem laureolam ob similem vitam, cælum et certamen obtinebit. Ipsorum vero hostes Herodes et antichristus suas quoque forte non dissimiles in inferno sortientur penas.

## CONCIO VI.

## ROGI SOLSTITIALES TYPUS VANITATIS MUNDI.

I. Mundus mendicat bona sua. — II. Pueri sunt, qui mundum amant. — III. Non fruuntur bonis suis. — IV. Non diu gaudent. — V. Exacto gaudio solus manet cinis.

## THEMA.

*Super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc. Luc. I.*

Video per hos dies, auditores, passim in montibus circumjacentibus, necnon in plateis urbium ignes festivos, ad vesperam accensos. Quid illi sibi volunt? Si Germanos audimus, indicant (ex vocabulo Germanico, quod significat ignis solstitialis) solem jam attingisse summum altitudinis gradum, adeoque jam cœpisse declinare et a nobis recedere, sensim subducendo suum calorem, suam amœnitatem, suam activitatem. Qua in re cum regis, quos nunc excitamus, magnam affinitatem habet. Illi enim cum accenduntur, ignis paulatim in altum exurgit: deinde sensim deficit, subsidit et extinguitur, ad instar nimirum solis, paulatim ascendentis, iterumque descendentis. At vero, o filii hominum, quomodo in sole, quomodo et in rogo, quem vos accenditis, non videtis nec palpatis vanitatem et inconstantiam gloriæ hujus mundi? Quod speculum nitidius proponi vobis potest, quam hic ipse rogas? Et tamen in speculo, quod ipsi sibi proponunt miseri mortales, seipsos non agnoscunt. Ergo ad instar Socratis, qui ingenuos adolescentes ad speculum ducebat, ut in eo se contuerentur, ego quoque ducam filios hujus sæculi ad rogos illos

suos, ut in illis se inspiciant, et una mundi vanitatem.

I. Ad hunc rogam excitandum solent per vicinas domos emendicari ligna. Qui in mundo effulgere et splendorem suo nomini et familiæ excitare volunt, coguntur in hunc finem omnia emendicare, quæ commoda et necessaria sunt. Imprimis magnam dotem: a parentibus non tam accipiunt, quam mendicant ac sæpenumero extorquent, aut etiam lacrymis emungunt, quandoque etiam furto. Scimus illos duos fratres Jacob et Esau paternam hæreditatem, partim astu, partim lacrymis exorasse, et pro ea contendisse atque odia concepisse, Gen. XXVII. Axa illa filia Calebi, cum in dotem accepisset agrum, edocta a marito petere augmentum dotis, cum suspiriis id emendicavit: *Terram australem et arentem dedisti, junge et irriguam*, Jos. XV. Et quid aliud agunt sponsi, quando in suis nuptiis ad finem convivii apponunt scutellam in mensa, quam ut munera nuptialia, velut honoraria sibi emendicant? Audimus regem Achab ab uno cive mendicantem quasi vineam, III. Reg. XXI. *Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum; quia vicina est, et prope domum meam.* In quæ verba S. Ambros. I. de Naboth, c. II. « Quæ alia, inquit, vox egentis est? Quæ alia vox stipem publice postulantis, nisi: Da mihi? h. e. da mihi, quia egeo: da mihi, quia aliud vivendi subsidium habere non possum: da mihi, quia non est mihi panis ad victum, nummus ad potum, sumptus ad alimentum, ad indumentum substantiæ. » Denique, jus regis, quod describitur, I. Reg. VIII. nonne aut ex mendicabulo constat? *Filios vestros tollet et ponet in curribus suis, etc.* Omnia nimirum reges a subditis vi quadam extorquent, quasi jure regio. Unde enim nisi ex vectigalibus et contributionibus subditorum vivunt? Nonne illi ad reginarum cultum olim contribuere debebant, et alicubi adhuc debent? Testatur illud Cicero, Act. V. in Verrem, quem accusat, quod in quæstura sua sit ausus consuetudine uti regia, qua reginis ad ornatum attribuebantur civitates: *Hæc civitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines, etc.* Hoc vero Tursellinus, in vita S. Xaverii, de regina Lusitanæ, in cujus soccos emendos contribuebant Indi. Quid ad extremum dicam de dignitatibus, officiis, beneficiis, præbendis? Nonne hæc omnia multis obsequiis, muneribus, precibus, et quandoque lacrymis, togatorum preceationibus, amicorum intercessionibus emendicantur verius quam comparantur?

II. Pueri fere et juvenuli tantum sunt, qui rogos illos excitant, transiliunt et circumeunt: non

viri et adulti; multo minus senes. Qui sunt illi, qui ad parandum sibi in mundo splendorem, delicias et divitias adeo mendicant, cantant, currunt, laborant? Parvuli sunt et pueri, teste Sapiente, Prov. I. exclamante: *Usquequo parvuli, diligitis infantiam?* Non hoc ad infantes ætate (qui non nisi infantilia sciunt tractare) loquitur, sed ad viros et maturos. Infantes tamen appellat, quia quod agunt infantes, ludendo par impar, ædificando e luto casas, equitando in arundine, sufflando bullas; hoc agunt mundi amatores, dum negotiantur, ædificant, equitant, monumenta sibi pomposa excitant. Pueri in campis ludunt, viri in curiis et officinis suis: illi crepundia, hi fluxa et caduca tractant. Demonstrata fuit illi Alexandro M. lyra Paridis, tamquam res magni momenti: sed ille desiderabat potius lyram Achillis, qua fortium virorum laudes canerentur. Quid lyra vilis? Quid puerilius? Apud Ælian. IX. var. hist. c. XXXVIII. qui immediate subdit, c. seq. « Quis neget hos mores et ridiculos esse, et absurdos? Primum Xerxis, quod platani amore capiebatur: deinde, cujusdam adolescentis Atheniensis, honesto loco nati, qui statuum bonæ fortunæ ad Prytaneum stantem, deperibat, et sæpe in complexu ejus se insinuans, oscula dabat: atque inde raptus in furorem, æstroque percitus, propter cupiditatem, in senatum venit, et enixe rogavit, ut sibi eam liceret utcumque magno emere. At cum nihil proficeret, multis redimita tæniis et coronis imagine coronata, oblato sacrificio, ipsaque pretioso vestitu exornata, profusis innumerabilibus lacrymis, ipse sibi mortem conscivit. Merito hic auctor ridet hunc adolescentem: sed nonne magis ridendi sunt illi, qui pro fortunatissimo virtutis ac veræ felicitatis statu exanimem et frigidam instabilis fortunæ statuam tam furiose amplectuntur et exosculantur? Cumque mundo desiderato nequeant potiri, sibi mortem animæ stultissime consciscunt? Nonne hi pueri dicendi, stultiores isto puero? Et pueri quidem, ubi maturiores flunt, rogos illos et crepundia spernunt: non ita tamen sectatores mundi; quinimo ad sepulcrum usque suis nugis immorantur. Audiamus de hoc B. Nilum in libro ascetico: « A pueris discamus ad præstantiora contendere. Nucibus, exempli gratia, et talis et pila ludunt; his illi se ludis oblectant, et sibi honori ducunt hæc comparare, quo ad prudentiam sunt imperfecta. At cum aliquis eorum in virum evaserit, ea abjicit, et ad gerendam rempublicam omne studium confert. Nos autem in infantia persistentes ludicra et risu digna suscipimus, neglectisque melioribus, prudentiam viris convenientem sumere recusamus, et terrenis in rebus